

**Disputatio inauguralis medica de emansione mensium praeternaturali ... /  
Publico examini subjicit Nicolaus Kästner.**

**Contributors**

Kästner, Nicolaus.  
Leichner, Eckard, 1612-1690.

**Publication/Creation**

Erffurti : Literis Kirschianis, Anno 1679.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/s9weapwd>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Q. D. B. V.  
DISPUTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DB

# EMANSIONE MENSIVM PRÆ- TERNATURALI,

QVAM  
CONSENSU & AUTORITATE  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN ACADEMIA ELECTORALI ERFFURTENSI  
SUB PRÆSIDIO  
SPECTABILIS, AMPLISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI  
VIRI,

## DN. ECCARDI LEICHNERI,

Medicinæ D. P. P. Academiae Senioris meritissimi,  
Facultatis suæ p. t. Decani & Civitatis Erffur-  
tensis Physici Ordinarii,

*Dn. Preceptoris, Patroni & studiorum suorum Promoteris quibus  
honoris atque observantiae cultu ad urnam co-  
lendi atque devenerandi,*

### PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES & PRIVI-  
LEGIA DOCTORALIA consequendi  
Publico Examine subicit

NICOLAUS Kästner /

Ottohusan huringus,

*Ad diem*

*Annus honoris & loco consuetis.*

---

ERFFURTI, Literis KIRSCHIANIS  
ANNO M. DC. LXXIX,



CELSISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO  
COMITI AC DOMINO,

DN. LUDOVICO  
GUNTHERO,

E QVATUOR SACRI ROM. IMP  
COMITIBUS, COMITI DE SCHWARTZ-  
BURG ET HOHNSTEIN, DYNASTÆ ARNSTADII,  
SONDERSHUSÆ, LEUTENBERGÆ, LORÆ  
ET CLETTENBERGÆ,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,


Inauguralem hanc Disputatio-  
nem Medicam

humilimè offert

NICOLAUS ROSTNER



Σὺν τῷ Ἀρχιάτρω Τεσσαγίω!

Uamvis universim verum sit Græcum  
ex Hippocratis, vel Democriti potius, dictamine  
(Epist. ad Damoget.) desumptum proverbium:  
Ὅλος ὁ ἀνδρῶν νόσος ἐστὶ: maximè omnium  
tamen, duplici veritatis jure, id ipsum compe-  
tit in seqviorem sexum: utpote qui, præter  
communes, cum masculino, corporis afflicti-  
ones, propriorum insuper, eorumque innume-  
rabiliū pænè, Morborum & Symptomatum, quibus exinde Mu-  
liebrium tribuitur cognomen, jugum sufferre cogitur.

Accedit, quòd nulli ferè morbi in omni Medica arte depre-  
henduntur implicati, difficiles & periculosi adeò, quàm illi ipsi:  
id quod omnes veteres æquè ac recentiores, qui de morbis mu-  
lierum commentationis quid publicæ luci commiserunt, Autores  
attestantur: quos quidem universos ipse præit venerandus *Cous lib.*  
*de Natura Mulieris*, hinc 2. *de Morbis Mulierum*, & alibi. Cujus  
quidem rei causæ petuntur à constitutione teneriore, humidiorè, pu-  
lore insuper, quòd sexus iste peculiare sibi morbosos affectus in-  
ducant perniciem justò diutiùs ferè celat: procul dubio tamen po-  
iores (causæ) consistunt in auctiore corporis ab utero apparatus  
atque onere, & hinc *Conceptionis & Gestationis*, itemque *pariendæ*  
& *lactandi* munere. Quò etiam spectat irati Creatoris commina-  
tio *Genes. 3. v. 16.*

Facilè autem in omnibus istis malis primas tenent, quæ à Men-  
strui Sanguinis pernicioſa proclivitate in varias ἀνομίας & ἀπαξίας  
proveniunt: quandoquidem totus pænè muliebris sanitatis car-  
do vertitur in Naturæ lege convenienti exuberantis sanguinis  
ad uterū motu & excernendi modo: adeò ut ubi is ritè se habet, illa  
(cæteris nempe paribus) optatò vigeat; concidat verò & sub-



vertatur, ubi secùs : præsertim autem, ubi sanguinis ea vacuatio præternaturaliter deficit atque emanet, sive supprimitur, attestante Roderic. à Castro lib. 1. de Mulier. Morbis c. 4. in marg.

Ex quo etiam hunc ipsum emanentis, vel suppressi Menstrui fluxus affectum pro *Inauguralis Dissertationis* argumento seligere haud abs re visum est : sic tamen, ut satis mihi sit, propositas The- ses meliorem in modum defendisse, & practico firmasse usu, licet cætera nec eloqvii gratiâ, nec elaborationis *ἀνεξβεία* ullâ splen- deant.

Te verò, *ter opt. max.* animi corporisque nostri *Archiater, æterne DEUS*, supplex veneror, velis quaecunque hoc meum institutum pro immensæ tuæ benignitatis ubertate felix & fau- sum reddere.

### §. I.

**U**T igitur *περὶ γυναικείας* ipsam nunc aggrediar, eamque expe- ditioris post progressus muniendi ergò à *Nominis* definitione ordiar ; ante omnia sanè de *γυναικῶς* appellatis hîc *Mensibus*, *Men- strua Purgatione*, vel *Evacuatione*, quam Græci *καταμῆνα*, Ger- mani *die Monatliche Zeit* &c. vocant, constare debet : quemad- modum nempe *DEUS* & *Natura* omninò voluerint, ut in seqviori sexu ab ineunte iusta pubertate ad quinquagesimum ferè annum uberioris sanguinis flos sensim ad uterum feratur : eò nempe, ut ibi collectus Generationis & Formationis opus adjuvet & pro- moveat, aut hòc deficiente (ex accidenti) singulis Mensibus per muliebrem sinum evacuetur.

### §. II.

Et licet hic fluxus, dum in juvenculis primùm erumpit, seri- em singulorum mensium ad ungvem non observet, uti exempla & experientia clarum faciunt ; nonnullæ tertiò quoque mense solum purgentur ; successu tamen temporis sensim sensimque na- tura viis apertis assvefacta, & sanguinis copia aucta, hunc ordi- nem solet obtinere. Falsum itaque est, quod *Aristoteles* 7. de *hi- stor. animal.* 2. scribit : paucis mulieribus singulis mensibus, pluri- bus autem intermissò unò mense Menstrua moveri. Nec frequen- est exemplum, quod *Panarolus* pent. 2. obs. 41. de muliere addu- cit singulis mensibus bis menstruata.



### §. III.

Perstatq; omnino certum id, quod *Menses*, de quibus agimus, ab exacto singulorum mensium recurſu ita dicti, ſexui ſœmineo proprii ſint: (quod enim *Panacollus* de viro per penem ſanguinem excernente memorat, oppidò rarum eſt,) ordinariè circa ſeptenarium ſecundum; quo tempore & mares ſemen generant, generatumq; emittere inchoant, & uterque ſexuſ varias alterationes circa partes genitales percipit, fluendî initium capiunt, huncq; periodicum fluxum uſque ad ſeptimum ſeptenarium continent, ubi ſinis huic excretioni naturali imponitur. Si igitur *Menses* hi ſtatutum à Natura provida tempus non obſervant, poſſitis licet omnibus requiſitis, & fluere non incipiunt; vel licet ſemel, bis, vel ter fluant, nihilominùs tamen iterùm per aliquot meſes, vel annos planè emaneant, vel per totam vitam nunquam fluere initium faciant, uti de viraginibus quibusdam notum eſt, in quibus ne veſtigium huius fluxûs obſervatur, uno verbo affectus iſte eſt & vocatur *Emansio*, vulgò *Suppreſſio Menſium* præternaturalis.

### §. IV.

Quæſtio hic *ſc̃i* *ex* *napòdes* non levis occurrit: quænam ſit cauſa, quòd hic fluxus tam exactam retineat periodum? Autores hîc ſerram contentioniſ inter ſe reciprocant: plurimi eorum *Luna* partes eas deferunt; eò quòd pro diverſitate phaſium in mutandis & alterandis humani corporis humoribus multum valeat: qui pro ſtabilienda ſua hypotheſi *Hydropicos* adducunt, quorum aqua pro diverſitate phaſium *ſc̃i* *creſcit* & *decreſcit*: ipſe & *Maris æſtus* à plerique *ſc̃i* *viribus* reſertur acceptus. Imò nonnulli tantum tribuunt *ſc̃i*, ut in omnibus ſerè morbis phaſes *Lunæ* aſpiciunt: ſed non rarò expectando ſeliciorẽ *Lunæ* aſpectum, patientem intereà mori ſiunt. Enimverò, etſi *ſc̃i* in mutandis humani corporis humoribus multum valeat, hoc tamen concedi minorẽ pot-eſt, eam eſſe adæquatam variantis admodum periodi huius cauſam; quandoquidem omnino peculiaris quoque ſubjecti cujuſque corporis & Naturæ diſpoſitio multum eò facit; quâ de re experientia teſtatur, propriaq; mulierum confeſſio. Hinc quædam, in *ſc̃i* incremento, quædam in decremento purgantur, utconque non omnino ſibi conſtet veritas verſiculi:

*Lu-*



*Luna vetus vetulas, juvenes nova Luna repurgat.*

Et ipse Philosophus 2. de generat. animal. 4. Non est, inquit, prescriptus huic fluxui certus terminus, ut qui nunc novâ, nunc plenâ, nunc decrepitâ Lunâ contingit. Unde patescit hanc sententiam lubrico stare talo, & debili admodum niti fundamentô. Regnerus de Graaf putat causam esse definitos Naturæ motus & certas illius leges, nobis adhuc incognitas: sed obscurum per æquè obscurum declarat.

§. V.

Sed enim ut, missis Physiologicis & generalibus istis, pro instituti ratione, de p. n. ingruente eoque omnimodò seu totali Mensium defectu dicam, qui vulgò Suppressionis nomine venit; nec malè; dum vocabulum id habitum potius, quàm actum, vel actionem denotat, idque non citra morem verbalium in IO. Videtur autem hujus æquivocationis cavendæ ergo convenientius esse *Emanationis* nomen.

§. VI.

Emanatio autem Mensium dupliciter sumitur, *generaliter*, vel *specialiter*: generaliter pro quacunque mensium emanatione tam naturali, quàm præternaturali: illa est varia pro varietate causarum, v. g. ratione ætatis, si ante annum decimum quartum menses non fluunt, & post annum quadragessimum nonum iterùm cessant. Ratione statûs mulierum, si sunt gravidæ, vel lactantes; ratione defectûs materie, quod imprimis contingit, si laborant, vel brevi antè laborârunt morbo quodam graviore, dum reconvalescunt: tunc enim ad aliquot menses lunares hæ purgationes emanant; aut si præcesserint aliæ extraordinariæ evacuationes, v. c. sanguis mediâtè, vel immediâtè invenerit effluxum. Verùm in his & similibus mensium emanationibus naturalibus Medici cura non desideratur.

§. VII.

Specialiter autem accipitur pro Emanatione Mensium præternaturali, in qua ætas quidem conveniens & iusta, materiaq; præsens; sed propter varia obstacula per loca ordinaria sanguis istam viam invenire non valet. Et hæc est, de qua jam loquimur.

§. VIII.

Ex hisce paucis luculenter patet, quòd Emanatio Mensium ista sit



fit *totalis menstrui sanguinis*, singulis mensibus ex lege naturæ aliàs semel fluentis, *præter naturam ablatio*, sive *detentio*; orta à vitio sanguinis, vel vasorum.

§. IX.

Definitur, *ablatio præternaturalis*, ceu symptoma abolitæ actionis, quò ipsò non omnem mensium emanationem, non eam certè, quæ in gravidis, vel lactantibus, aut post quinquagesimum annum naturaliter contingit; & quia totalis est ablatio, non confundenda est cum suppressione mensium specialiter dicta, ut quæ emanationis facit initium, fluxumque in media via impedit.

§. X.

Ulteriora Definitionis verba ex iis, quæ jam nunc pro Subiecti & Causarum notificatione sequuntur, plenius obtinent lumen, in qua primò *Subiectum*, seu *pars*, quæ in hoc affectu præ reliquis affici solet, est *duplex*: vel *inhesionis*, vel *antecedentis radicationis*; Illud iterùm est duplex, vel *massa sanguinea*, vel *vasa uterina*, præsertim *vaginæ*: Hoc verò, nempe *subiectum antecedentis radicationis*, est *stomachus* & *sanguificationis operantia viscera*.

§. XI.

Quoad primum *Inhesionis subiectum*, quod etiam *subiectum Passionis*, vel *Affectionis* vocatur, in propatulo est, excretionem menstrui sanguinis naturalem quoque (notanter dico, naturalem, quia omnes reliquæ sanguinis excretiones sunt præternaturales) non sine fermentatione & turgescenti fervore fieri, ex quo impetu sanguifera vasa uterina per *ἀναστόμωσιν* aperta, sanguini januas & fenestras aperiunt.

§. XII.

Fieri autem hanc sanguinis excretionem non sine sanguinis fermentatione aliqua, testatum faciunt non solum adjuncta & concomitantia, sed etiam iuvantia & nocentia. Illa sunt dolores lumbares, sensus tensionis circa regionem pubis, varix variis in locis pulsationes, imprimis in capite propter copiosas arterias; quæ omnia singularem sanguinis turgescentiã ostendunt: His accedit difficilis respiratio, quia motus sanguinis turgescens replet & distendit vasa pulmonaria. Hanc autem fermentationem promouent omnia acris volatilia vi fermentatiuâ prædita, v.g. *cinamomum*.



*anum, zedoaria, artemisia, crocus, cuminum, &c.* quorum omnium *Ægyptia* consistit in eo, ut attenuando, aperiendo & fermentando moveant menses; quemadmodum ex adverso omnia acida, prius contraria, horror subitaneus, frigus externum, sanguinem coagulando, fermentationemque ejus & turgescientiam inhibendo, Mensium fluxum sistunt.

§. XIII.

Ex his dictis luce meridiana, sanguinem tunc esse subiectum causale, sive obiectum proximum & primum; si ejus massa est cruda, crassa & viscida, ad expeditum motum & fermentationem inepta, & per vias secundum naturam minus patentem non facile transire valens; unde necessarium est, ut, nisi per alia loca extraordinaria exitum inveniat, sed retineatur, præternaturalem hanc Mensium detentionem soleat causari.

§. XIV.

Quod alterum & magis propriè dictum Inhabitionis subiectum attinet, consistit id, uti supra dixi, in vasis uteri & vaginæ præsertim, seu colli uteri obstructis, quæ imprimis sunt rami inferiores arteriæ hypogastricæ, venis haud verò ipsius exclusis; Primum enim per Anatonem, alterum Medicinæ oculum, liquet, vasa hypogastrica non ad ipsum uterum, sed ad cervicem ejus utriusque deferri; uti in *Tabula XXVI. Anatom. Barthol.* videre est.

Deinde si menstruum hoc profluvium per ipsum uterum contingeret, in gravidis etiam, in quibus interdum hæc excretio per totum gestationis tempus, absque tamen noxa, perdurat, id fieret: videatur *Realdus Columbus in Anat. lib. 2.* Hoc autem contrarium esset hypothese magni Medicinæ Dictatoris *lib. 5. apb. 5.* quæ ventrem ferunt, iis os uteri connivet, adeo, ut ne specilli micronem admittat; si hoc verum, id quod plerique Anatomici confirmant, persuadere mihi haud possum, hunc sanguinis fluxum per uterum firmissimè sic clausum posse accidere. Accedit huc historia *Guillelmi in Tr. de partu felici c. 12.* de muliere, quæ octo diebus ante partum per aliquot dies quatuor, vel quinque pintas aquarum evacuerit, non per uterum, sed per vasa vaginæ uteri. Sicut prostant Observationes Autorum, quasdam mulieres hydrope ute-

labi



aborâsse, & nihilominus tamen mensium fluxum esse passas: Jâm  
verò si sanguis exitum per uterum invenire potuit, cur non etiam  
simul aqua? Tandem ipse *Galenus* jam dudum scripsit: In proflu-  
vio muliebri uterus non laborat. De qua quidem sententia pro  
& contrâ disputatur.

### §. XV.

Adducunt quidem Autores, contrariam sententiam foventes,  
se vidisse mulieres uteri procidentia laborantes; quibus ex uteri  
osculo sanguis evidentissimè promanaverit. Verùm hæc obser-  
vatio magis pro stabilienda, quàm destruenda nostra sententia est.  
Nam in procidentia uteri, non ipse uterus, sed vagina uteri pro-  
labitur: id quod præcipui commatis Anatomici ampliùs confir-  
mant, & in his insignis *Amstelodamensis Chirurgus Van Meester*  
cap. 51. de muliere insigni putatâ procidentia uteri laborante, in  
qua tamen, apertò cadavere, autopsia aliud monstravit. Sunt et-  
iam nonnulli, qui fluxum hunc in gravidis negant & allegant  
*Aphor. 60. lib. 5. Impossibile est fœtum agere vitam sanam, si mulierem  
gravida purgationes exeant.* Sed enim intelligendus est *Apb.* iste  
de immoderatis mensium purgationibus; utut hic fluxus non tam  
per uterum, quàm per vasa vaginæ fiat: quia hoc modo fœtus  
suò nutrimentò nihilominus privatur, & necessariò debilitatur.  
*Andr. Vesalius lib. 5. de corp. humani fabricat. c. 15. ex venis fun-  
di uteri, non cervicis menstruas purgationes evenire; sed addit  
hæc verba: Etiam si id sectione non deprehenderim.* Contrarius ve-  
rò est *Columbus lib. VII. Anat.* qui eligit vasa, quæ in cervicem  
ad latera inseruntur. *Rolfinck. autem diss. Anatom. method. synth.  
lib. 6. c. 28. mediâ viâ vult incedere, magis tamen videtur incli-  
nare ad cervicem, quàm ad uterum.* Miror autem hac in parte  
*Grafium*, virum aliàs satis eruditum, qui expressis verbis negat  
hunc fluxum fieri per vaginam uteri, & tantummodò uterum c-  
ligit, cujus argumenta, brevitatis ergò, hâc vice adducere nolo.  
*Vid. cap. IX. de organis mulier.*

### §. XVI.

Non immeritò autem hîc quæstio movetur, cur hæc excretio  
exitum quærat per vasa genitalia, non verò per alia loca? Ansam  
huic quæstioni excretiones factæ per vasa hæmorrhoidalialia, per  
B narcs,



nares, per mammas, &c. dederunt. Huic quæstioni satisfacere videtur *Galenus lib. 2. de semin. c. 5. Hæ*, inqviens, *partes omnium sunt imbecillime*. An verò his verbis nostræ quæstioni satisfaciatur valdè dubito. Vera causa, finalis scil. in *superioribus* habetur exposita: voluit nempe Natura benigna, ut sanguis per hunc fluxum viis istis asvescat, quò minùs tempore gestationis foetui sufficiens denegetur nutrimentum.

§. XVII.

De his subiectis inhaesionis magnum adhuc restat dubium, quomodo Medicus certus esse possit, quodnam subiectum magis sit affectum, an massa sanguinea, an vasa uterina? In hoc enim puncto cardo totius curæ vertitur. Huic dubio hoc modo satisfieri puto, observando, an virgines, vel mulieres, statutis à natura sapienti temporibus, percipiant pathemata, quæ ostendunt sanguinis impetum vergere ad vasa uterina, an non? exempli gratiâ, si percipiunt dolores lumbares circa vasa lumbaria, gravitatem totius corporis, inflationem ventris, cibi fastidium, crebras vicissitudines caloris & frigoris, respirationem anhelosam; sensus tensionis circa genitalia & regionem pubis, pulsationes in variis corporis locis, in hypochondriis, in artubus, murmura & borborygnos in abdomine; sanguinis impetus per alias vias inordinarias; hæc & similia manifestum reddunt vasa partium genitalium esse affecta atque obstructa. Sanguinis verò vitio hoc contingit, quando virgines & mulieres nullas alterationes, nullam tensionis, vel pulsationis sensum circa genitalia & lumbos tempore à natura ordinatò, vel alia pathemata, in vasis partium genitalium denotata, percipere solent.

§. XVIII.

Subiectum radicationis, à nonnullis subiectum causale & generationis remotius appellatum, quod spectat, stomachum & viscera sangvificationi destinata, non sine fundamento, suprà agnovi. Notum enim est, plurimorum, imò ferè omnium morborum fomitem hærare in stomacho, unde non mirum, si & in hoc affectu prima origo ex stomacho ferè accersitur. Vulgarissima enim est regula in arte Medica: Qualis chylus, talis sanguis. Fundamentum namque vitalitatis in sanguine, fundamentum vero  
fani



sanitatis in chylo, seu stomacho, consistit. Unde si convenientia alimenta assumuntur, assumpta legitimo modo fermentantur & concoquuntur, sequitur laudabilis chylus; si contrarium contingit, necessario stomachus copiosis cruditatibus, recrementosis, viscidis & pituitosis refertur, unde robur ejus digestivum à nimia partim copia obruitur, partim tenaci visciditate hebetatur, quominus cruditates hasce digerere, aut desuper ingesta alimenta ritè fermentando concoquere possit; unde sumè necessarium pro universa corporis oeconomia negotium, digestio nempe, turbari solet. Quid igitur mirum, si errata digestionis primæ nulla alia corrigi queant, sed alimenta semidigesta, nec ritè in primis viis per fæcum debitam separationem perfectà, ad sanguinem distribuuntur, unde sanguini non debitè assimilata massam sanguineam reddunt crassam & viscidam, hinc vitalis ejus excitatio, & per consequens hic fluxus, manifestè impeditur.

#### §. XIX.

Nec puto ullum fore, qui miretur, nos posuisse stomachum tanquam primordiale subiectum hujus affectus, si æqua saltem animi lance symptomata circa stomachum obvia perpenderit; Nam hujusmodi patientes insignes præcordiorum angustias & anxietates, stomachi inflationem, murmura & borborygmos patiuntur, quæ in primis augeri solent, si alimenta ab ipsis viscida assumuntur, qualia sunt lac & lacticia, caseus, panis recens &c. ex quibus omnibus manifestum fiet, partem affectam esse stomachum. Hisce dictis superpondii locò accedunt juvantia: quia plurimum in hoc affectu ab evacuando & corrigendo stomacho curam auspicari decet.

#### §. XX.

Non me quidem fugit esse nonnullos, qui ad subiectum radiationis referunt nunc epar, nunc lienem, nunc renes; sed vercor, ut hæc sententia locum invenire possit, nisi præviò vitiò stomachi: quia erratum primæ concoctionis non corrigitur in secunda, & cum est potius productum, quàm causa morbi. Hæc de Subiecto & parte affecta dicta sunt.

#### §. XXI.

Accedo nunc ad Causas penitiùs explicandas; quia cognita  
B 2 & remo-



& remotâ causâ, ipse affectus cognoscitur & removetur. Hæc pro diversitate subiecti sunt diversæ. Libet nunc eas distingvere in proximas & remotas: Illæ ratione duplicis subiecti sunt duplices. Prima ratione sanguinis est nimia crassities, & glutinosa visciditas, quæ crassam massæ sanguineæ volatilem inverteit, fluxilitatem & fermentationem ejus impedit, adque motum ineptam reddit, spirituum vitalium & animalium generationem inhibet, quorum alioquin virtute omnis naturalis excretio promovetur.

§. XXII.

Positô autem massam sanguineam in crassi sua & qualitate se optimè habere; attamen si vasa, per quæ hic fluxus menstruus exitum habeat, minùs sint aperta, sed obstructa, impedimento huic fluxui sunt, quo minùs foràs prodire valeat.

§. XXIII.

Est autem vasorum ista indispositio duplex; nempe vel à primo ortu, vel tractu temporis oborta; Illa est, quando natura hæc vasa reddit nimis angusta in prima generatione, adeo ut sanguis, licet conetur, per eorum exilitatem permeare & egredi non valeat; unde per alia sibi convenientiora exitum quærit, v. g. per vasa hæmorrhoidalia, quæ cum uterinis eundem agnoscunt truncum; hinc fluxum hæmorrhoidalium in subiectis fœminis aliàs rarum constituent; sic quandoque per nares, per lacrymas, per dentis alveam, per vomitum, per minimum digitum, per spatium illud, quod mammas dividit, sanguis ille prodit. Tractu verò temporis hæc vasorum obstructio fit à materia quadam viscida, glutinosa & mucilaginosâ, quæ sensim sensimque hæc vasa genitalia obstruit, fluxumque istum impedit.

§. XXIV.

Absolutâ causâ proximâ, ad alterum Causarum genus, naturæ opus aliàs benignum difficile reddentium, jam accedamus, ubi primum locum obtinet stomachus: hic enim quantum in hoc affectu valeat, ex suprà dictis satis superque patet. Nam si hic in robore suo & coctione destituitur, & alimenta assumpta non rite concoquit, nec chylum laudabilem efficit, presso pede sequitur sanguis crassus, viscidus & pituitosus: Quale enim fundamentum, tale superstruitur ædificium.

§. XXV.



§. XXV.

Huc referuntur omnes ejusmodi causæ, seu res non naturales diætæ, quæ corpus nostrum de statu naturali in morbos possunt dejicere; in quibus agmen ducit in vitium ratione peccandi licentia, quâ stomachus aliàs firmus debilis redditur, vel jam labefactus planè pessundatur.

§. XXVI.

Committitur autem peccatum in vitio, quando alimenta assumuntur vel in quantitate, vel in qualitate peccantia. Quod quantitatem attinet, notum est, quod luxuria vulgò vocetur Medicorum nutrix, & quod gula plures necet, quàm ensis; id quod verum esse, ipse Medicorum Princeps autumat: qui parum, inquit, edit & potat, is parum & rarò quoque laborat ægrotatque. Nam licet vis fermentandi & digerendi stomachalis sit summa, tamen in efficacia sua, propter copiam & varietatem alimentorum impeditur, quò minùs spicula sua in ea exerere possit. Ex Chymia enim novimus, quòd inter menstruum solvens & rem solvendam, certa requiratur proportio, quod etiam hîc omninò observandum venit. Si contrarium sit, alimenta non ritè fermentata & digesta, sed semicocta abeunt in pastam tenacem, crudam, viscidam & pituitosam, quæ ad massam sanguineam delata, eam necessario solent corrumpere & perturbare.

§. XXVII.

Quod alimentorum *qualitatem* concernit, experientiâ compertum habemus, nil magis nocere mulieribus, etiam iis, quibus ordinariè solent fluere menses, quàm copiosius assumpta acida; hinc viscida, glutinosa, pinguis, dura, nimis salita & fumo indurata, quibus omnibus ventriculus oneratur, tonus prædictaq; virtus ejus pervertitur atque obtunditur, quò minùs in cibum agere, debitoque modo illum perficere possit; hinc ventriculi œconomia turbatur, sanguisq; vitiosus generatur.

§. XXVIII.

Aërem frigidum non imò hîc occupare subsellia, ostendunt mulieres, quibus actu fluunt menses; si nudis pedibus in pavimento incedant, vel in aqua frigida manus, vel pedes lavent, aut si ex improviso frigus externū partibus genitalibus excipiant; suppressionem mensium non rarò hinc incurrentes.

§. XXIX.



nissimus est cachexia, quæ à quibusdam istius mali causa habetur, sed potius effectus est, quàm causa. *Zac. Lusit. l. 2. pr. admir. obs. 95.* Apoplexiam observavit. *Hercul. Saxon. pr. medic. l. 1. c. X.* duas virgines moniales in cœnobio post mensium suppressionem paralyti correptas scribit. *Platerus l. 1. c. 3. prax.* de nobili matrona, alioquin honestissima, refert, quòd propter seminis & mensium retentionem tanto furore fuerit correpta, ut tam homines, quàm canes ad congressum verbis gestibusque turpissimis invitare non erubuerit. *Hippocrates l. 6. apb. 29.* mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint. Alii observarunt epilepsiam, vertiginem, sterilitatem, cephalalgiam palpitationem cordis, pleuropneumoniam, picam, dysenteriam, hydropem, &c. In virginibus ut plurimum febrem albam efficit. Morbos verò chronicos alios reddit graviores, adeò ut non curari possint, nisi menses fluant.

#### §. XXXVII.

In §. 35. dixi, quòd Emanatio mensium ut plurimum sit malum chronicum, quod verum est. Nam rectè *Sylvio lib. 3. pr. p. 610.* monente, in hoc affectu lentè est festinandum, & plus perficitur blandis, quàm vehementibus medicamentis, unde ægræ propter continuationem remediorum nausea corripuntur, & ipsam curationem negligere solent.

#### §. XXXVIII.

Viso & consideratò genere, Subiecto, Causis, Signis tam diagnosticis, quàm prognosticis, ordo nunc poscit, ut ad ipsam Curationem accedam. Ea autem suis circumscribitur Indicationibus, sive scopis, ceu medendi methodo: unde cum primis requiritur hîc, ut (1.) ventriculus, siquidem in eo & primis viis deprehendatur primarius mali fons consistere, emendetur, ejusque chylicatio rectificetur. (2.) Massa sanguinea, ejusque cruditas & crassities corrigatur. Simul atque (3.) angustia & obstructio vasorum removeatur humorum visciditatem, vasa obstruentem resolvendo & incidendo. (4.) Hisce tandem adjungantur appropriata, seu menses scientia & expedientia: Remediorum materiam desumendo ex fonte 1. Pharmaceutico. 2. Chirurgico. 3. Dietetico.

#### §. XXXIX.



### §. XXXIX.

Primo scopo ut satisfaciamus, opus est, ut stomachus, ubi cruditatibus acidis, humoribus viscidis & pituitosis laborat, iisdem quantocyùs liberetur: adhibendo ea, quæ eundem evacuant, & unò quasi impetu ab hac humorum sarcina liberum reddunt.

### §. XL.

Sunt autem duo ferè ejusmodi impedimenta, quæ removeri debent: alterum est humoris, v. c. Melancholici, ut vocant, vel Pituitæ, acrimonia acida, quæ à medicamento purgante interdum quidem movetur, sed, motâ camarinâ, rodit, vellicat, & nonnunquam excoriat intestina, ut tormina atrocia & fluxus cruentus superveniat. Alterum obstaculum est succorum per purgationem evacuandorum nimia visciditas & glutinositas, ratione cujus medicamentum energiam suam exerere haud potest, sed in operatione sua impeditur, obtunditur & hebetatur; quia humores minùs sunt mobiles, nisi priùs resolvantur, und bleibet die Purgation sitzen/ uti Germani loqui amant.

### §. XLI.

Ratione prioris dati obstaculi conveniunt martialia, quædam terrea ac marina, & in his corallia, mater perlarum, oculi cancrorum &c. confer *Nob. §. Experientis. D. Ludov. in Diff. 1. Pharmac. pag. 161.* & omnia reliqua vi acidum absorbente pollentia; hòc enim absorptò & in sal tertium mutatò, perque vias urinarias, vel alias evacuatò, medicamentum purgans exhibitum scopum suum absque ullo negotio assequi potest.

### §. XLII.

Deinde pro resolvenda humorum visciditate conveniunt remedia salina, tam fixâ, quàm volatilia, quæ eandem incidunt, & glutinositatem attenuant; quibus remotis, medicamentum evacuans laudabilem dabit effectum; reliquis verò, magis nocet, quàm juvabit.

### §. XLIII.

Cùm autem in nostro affectu hæc duo impedimenta haud raro simul occurrant, non inconsultum erit, hæc duo remediorum genera conjungere, ut unâ quasi falce ea resecentur. Interim ordine progrediar, & pro uno quolibet unum, vel alterum dabo exemplum.



#### §. XLIV.

Pro primo scopo primarium locum obtinent martialia, vel in forma liquida, vel sicca usurpanda: v. g. Recipe eff. l. extr. mart. unc. β. & de hac omni mane & vespere in conveniente vehiculo assume guttas XXX. ad XL. In forma sicca usurpatur mars præparatus, crocus martis vulgò aperitivus, rectius alterativus, diæticus, qui cum aliis conjungi potest, v. g.

℞. Corall. rubr. præparat. Ocul. cancror. præparat. ana scrup. β.  
Croc. mart. aperient. gr. iij. M. F. P. S. Digestiv-Pulver.  
Detur in duplo, manè & vespere ante cœnam exhibendus.

#### §. XLV.

Ut autem humorum visciditas & glutinositas incidatur & resolvatur,

℞. Tartar. Vitriol. drachm. β. Salis matric. gr. xvi. M. F. Pulv.  
in duas partes equales dividendus, & S. Erweichendes Pulver.

#### §. XLVI.

Tertius præscribendi remedia digestiva modus hîc optimus est, & tutissimus, quia mediante hoc, duo quasi parietes unâ fidelitâ dealbari queunt; hinc talis Pulvis ordinari potest;

℞. Lapid. cancror. Vel matr. perl. præparat. drachm. β. Arcan. dupl. Myns. scrup. i. Sal absynt. scrup. β. M. F. Pulvis.  
Dividatur in duas partes equales. S. Digestiv-Pulver.

#### §. XLVII.

Hisce præmissis, tutò ad ea, quæ stomachum evacuant, accedimus: inter quæ omnium optima sunt vomitoria, quæ stomachum evacuant, & à cruditatibus liberant; unde unum vomitorium plus præstat, quàm aliquot purgationes per inferiora: pro quo scopo sequentibus utamur licet formulis:

In forma liquida:

℞. Aqu. menth. unc. β. Syr. emetic. rub. idæ drachm. i. & Nicot. qui optime resolvit, drachm. ij. M. F. Potio. S. Brech. Tranc auf einmahl.

In forma pulveris:

℞. Tartar. emet. Myns. gr. iv. Sacchar. albissim. gr. viij.  
M. F. Pulvis. S. Brech. Pulver.

#### §. XLVIII.



§. XLVIII.

Habent omnino Vomitoria suum hîc locum; quia mirum sæpè in modum affectum nostrum pro dato casu levant. Unde non imè-ritò miror *Barbettum*, qui in *Pr. suæ. de suppr. mens.* hæc impro- bat, & magis probat purgantia; & videtur hanc sententiam ex *A- phor. 36. lib. 5.* hausisse: ubi Hippocrates, *Mulieri, ait, menses de- colores, nec eodem semper modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant esse necessariam.*

§. XLIX.

Qui ergo hanc evacuandi rationem illi præferunt, & latentes in stomacho sordes per alvum educere malunt, variò Purgantium apparatu, pro ægrotantium & vitiosi humoris diversitate, uti frui possunt. Non est autem, ut prolixior sim in præscribendis for- mulis: ut quæ perquam notæ sunt; inque omnium Prædicorum commentariis ubertim se offerunt: exempli interim causâ è Pilu- larum genere subsequentes commendo; quia pilulæ optimè ab ægrotis deglutiuntur.

§. L.

In harum verò ingredientibus eminent Mercur. dulc. & hel- lebor. niger, ille in morbis chronicis, ceu catholicum pænè pur- gans; hic verò non solum propter vim purgandi, sed etiam pro- pter vim alterativam & correctivam laudatur. Pollet enim singu- lari sale volatili, & quidem adeò volatili, ut in cineribus ejus parum salis reperiatur. Hinc *Angel. Sala in Anatom. essent. vegetab. mi- ris modis in hoc affectu commendat pessor ex helleboro nigro fa- ctos.* Optimus ergo utendi modus est in forma pilulari, v. g.

℞. *Extr. hellebor. nigri gr. xv. Merc. dulc. gr. xii. Extr. trochæ- alband. gr. ij. Cum s. q. ess. myrrh. F. Pilul. pro una dosi.*

Alii faciunt nodulum laxantem & alterantem ex radice hellebori nigri & senna cum aromaticis, qui vino infunditur, & modo usita- to usurpatur. Hæc de prima indicatione.

§. LI.

Correctis primis viis, sanguinis cruditas acida & crassities cor- rigatur: quod faciunt omnia aromatica, *salvia, ros marinus, men- tha, cinamom. zinziber, galang. zedoar.* & omnia amara, *absynth. cent. minus, cichorium, taraxacum* &c. imprimis autem spiritus vo- lati-



latiles v. g. spir. sal. armon. essentificatus, liquor C.C. succinatus, ess. myrrh. castorii, elixyr proprietatis cum alkali, & imprimis volatili, quod singulare est. Hæc & similia variis modis, pro desiderio patientis, dispensari possunt: v. g. in forma vini medicati:

℞. Rad. belen. fœnic. armorac. ana unc.ß. b. salv. menth. crisp. melliss. artem. rubr. ana m.ß. fl. roris marini, cent. minor. bellid. ana p.i. sem. anisi, levistic. nasturt. ana drachm.ii. ʒ diaphor. scrup. i. cum dimid. Cinam. scrup.ii. Macer. scrup.i.

Concisa & contusa includantur sacculo, cui in cantharo lapideo affunde vinum libr. i. & dimid. vel pro libitu plus minusve, stent in cella per noctem, bibat ægra manè, in prandio ac cœna, vel paulò antè, bonum haustum, & quamdiu aliqua vis infusorum superat, novum vinum affundi potest.

Vel fiat Potio cum spiritibus volatilibus v. g.

℞. Aqu. scabios. puleg. ana unc.ß. spirituos. cinamom. drachm. iii. spir. C. C. essent. drachm.i. syr. artem. drachm.iii. M. F. Potio.  
S. Alterier und Schweißtreibender Trank.

Vel in forma Pulveris:

℞. Antimon. diaph. gr. xvi. Sal. vol. succ. scrup.ß. rotul. Christ. perlatar. num. iv. M. F. Pulvis. D. S. Schweiß-Pulver.

### §. LIII.

In Tertia indicatione, si hæc obstructio à materia viscida originem sumit, (naturalis enim est incurabilis,) conveniunt pro scopo interno eadem, quæ in secunda indicatione laudabantur, nempe aromatica salina volatilia, materiam viscidam, tenacem & vasa obstruentem, resolventia & attenuantia, ipsumque sanguinem volatiliorem & penetrantiorum reddentia, adeò, ut hic tertius scopus faciliè cum secundo, quòd interna remedia concernit, conjungi possit.

### §. LIV.

Hisce internis externa admodum non sine singulari effectu extolluntur, (vasu ipsius Hippocr. 5. Aph. 28. suffitus aromatum, muliebria educit; vasorum enim extrema conniventia recludit, humores crassos extenuat, & obstructions incidendo liberat, uti Galenus in Comment. Hippoc. addit. Hi suffitus variis modis & variis remediis instituuntur, v. g. ex sabina, colocynthide, myrrha, styrace &c.

℞. Sa-



*℞. Sabin. m.ß. myrrh. drachm. ii. Asphalt. drachm. i. Troch. al-*  
*band. drachm. i. F. Pulvis.*

Qui injiciatur carbonibus, & suffitus per infundibulum excipiatu-  
tero. Alii recipiunt scorias regul. Antimonii, uti *Hartm. in Pr.*  
*Chymiatr.* coqvunt in aqua simplici, de hoc decocto aliquot coch-  
learia affundunt lateri calefacto, vel silicibus ignitis, ut uterus di-  
atatis cruribus hauriat fumum; id quod etiam de urina foetida  
licendum.

§. LV.

Non immeritò etiam laudatur instrumentum Glauberianum,  
cui mediante spongiâ salia volatilia, imprimis autem Sal ammoni-  
cum alcalisato alicui junctum, utero ægræ conjugatæ immit-  
unt. Qui verò hoc instrumento carent, phiolam recipere  
possunt, cui infundant aliquid de spiritu quodam volatili, e. g. spir.  
al. armon. & ore phiolæ linteis circumducto, sinui pudoris admo-  
vere; corpus verò phiolæ imponatur carbonibus, quo facto, sp.  
volatilis ascendit, vasis uterinis se insinuat, insinuandoq; mucum  
viscidum & glutinosum resolvit. Hic modus est egregius, &  
vultum habet in recessu.

§. LVI.

Ultima demùm indicatio specifica & appropriata desiderat,  
quæ peculiari efficaciam sanguini conciliant motum, & ad uterum  
educunt.

§. LVII.

In genere conveniunt omnia Salia tam fixa, quàm volatilia, ubi  
amen hæc cautela observanda venit, ut salia volatilia tempore, quo  
menstrues fluere debent; fixa verò, è plantis præsertim appropriatis,  
antea adhibeantur.

§. LVIII.

Inter specifica utramque paginam faciunt *artemisia, pulegium,*  
*. Cheir. rad. aristol. rotund. cinamom. myrrh. troch. de myrrh.* (quos  
alidè commendat *Rhases*;) *castor. crocus*; commune quidem, sed  
potens remedium, quò etiam vescuntur mulieres, dum actu fluunt  
menstrues; huic succedit *borrax*, singulare sal & potentissimum men-  
struum stimulans, cum croco vegetabili, vel cinamomo & similibus  
romatis mistus: verbi gratiâ



℞. *Borrag. scrup. i. cinamom. pulveris. scrup. ss. M. F. Pulvis.*  
*Sabinam*, tanquam singulare & inprimis ejus oleum, omnes ferè  
Practici laudant, unde etiam *Myns.* habet suas pilulas contra men-  
struum obstructionem ex *sabina* paratas. Et verò a<sup>l</sup> attestante expe-  
rientiâ petitum argumentum plus satis, proh dolor! indices confir-  
mant meretriculæ quædam, virgines videri volentes, dum uno ma-  
ximè *sabinæ* remedio, identidem commoto sanguine, adversus ra-  
dices agentem conceptionem se muniunt. Hinc calculum nostrum  
vix meretur hîc *Experient. Ludov.* quando in *Dissert. i. Pharmac.*  
sabinam hæc in parte parùm æstimat, et quæ parùm, nisi aliis ad-  
dita, præstet. Verùm quilibet abundet suo sensu.

§. LIX.

Hoc quidem non negandum est, quòd nullum sit remedii ge-  
nus, quod eandem habet vim in singulis, nec ullus morbus idem  
omnibus: unde nisi in omnibus remediis accomoda vis observetur,  
& subjectum patiens cum subjecto agente conferatur, non obtine-  
bimus semper optatum finem. Hinc natum proverbium Germa-  
nicum: *Es ist nicht eine Natur/ wie die ander*; quod verissimum  
est. Contra hoc quotidie peccatur; imprimis à vetulis & ejusdem  
sarinæ hominibus, qui ultra crepidam sapiunt, & Medicinam præ  
se ferunt, de qua tamen ne gry nôrunt, dicentes: *Das hat meinem  
Manne/ oder meinem Kinde geholfen/ das wird auch eurem helfen.*  
quod falsissimum: id quod plures cum summo suo damno & vita  
periculo experiuntur: cum si vel maximè medicastis empiricis  
suppetant specifica quædam experimenta, per sæpè tamen gladius  
sunt in manu furiosi: cum nesciant medendi methodum, atque  
adeò quibus, quando & quoties, quâ dosi, quibus additis, seu ad-  
emptis, cujusque ægrotantis constitutioni convenient: quibus  
tamen sæpenumero non solum plebs, sed grandes etiam plus tri-  
buunt, quam experientissimis Medicinæ Doctoribus, adeò, ut  
parùm desit, quin nostro seculo verificetur illud *Zachix*: *Medicu  
& obstetrix sunt ejusdem dignitatis.* Sed patientia.

§. LIX.

Sunt, qui veterum ex commendatione, *extractis & essentis*  
*plenibus v. g. bovis, cervi, &c. paratis* multum hîc tribuunt: for-  
tea



rean respiciendo ad analogiam humoris melancholici &c. Quicquid verò hujus sit, res omnis sita est penes vivo opere confirmatam experientiam; de qua tamen metuo, ne sibi omninò constet; perinde ut de *liene asininò* in obstructione splenis calidi applicato; item de pellicula interiori stomachi gallinæ, & quidem, ut mulierularum opinio est, nigræ, in affectibus stomachicis; it. de felle catuli nigri in epilepsia infantum.

§. LX.

Dubio autem procul potioris momenti ac usûs sunt, quæ ex Hermeticorum depromuntur officinis, v. g. spiritus, Salia, Olea, Tincturæ, extracta Martialia, quæ ambidextra, seu ferè utriusque usûs, sunt, *cientia & supprimentia*; quò etiam refero elixyr uterinum *Excellentiss. Dn. Mæbii*. Et hæc de fonte Pharmacœutico sufficiant.

§. LXI.

E fonte Chirurgico imprimis commendatur, plurimoque in usu est, V. S. saphenæ imprimis, idve genus alia. Et quidem pro circumstantiarum ratione iterata: Ut quæ interdum miraculi instar levamen affert, & *Galeno 13. Method. medend. c. 31.* sacræ anchoræ instar est. E recentioribus nonnulli secus sentiunt, utpote quòd V. S. non conveniat, nisi plethoricis, & quidem in cubito facta, dum si in pede adhibeatur, copiosus sanguis majori impetu ad vasa uterina rapiatur & obstructionem augeat. Ita *Amat. usit. C. 6. obs. 28.* refert de muliere, difficultate mensiû laborante, in qua quoties secta fuit vena in pede, toties sanguis prodire cessavit, in brachio verò, fluxit. Verùm *Excellentiss. Dn. Preses* haud absque censet, non in solis plethoricis Venæ sectionem hîc ex usu esse, utcumque his initiò conveniat superior illa, nihilominus potest & inferior: uti quidem in non plethoricis sola hæc atque ab initiò convenit. Interim utramque V. S. ad sanguinis ventilationem & liberiores motum facere.

§. LXII.

Supereft, ut quoad tertium, *Dieteticum* nempe fontem, ad accuratum ventriculi munus, à quo institutum hoc cœpi, revertar. Idem nempe demum ritè & feliciter succedit curatio, si prædictorum



eorum legitimo usui accedat conveniens Diata, h. e. sex rerum  
non naturalium regimen.

§. LXIV.

Cibus igitur non sit multiplex, nec multus, multò minùs viscidus, glutinosus, flatulentus, vel acidus, sed εὐχυμὸς καὶ εὐπεπτός & probè aromatibus conditus; hæc enim omnia obstructionem deobstruunt, & menses provocant; panis sit probè fermentatus, minimeque tamen cerevisiæ ex fæcibus.

§. LXV.

Cum motus corporis sit veluti medicus omnium morborum chronicorum, tam præservationis, quàm curationis quoad scopum, haud dubiè hîc vita sedentaria, nimia quies & somnus protractior multum nocebit.

§. LXVI.

Cane verò pejus & angve vehementiora animi pathemata fugiat talis ægrotæ, quia experiëntiâ constat ejusmodi animi affectus, mulieres in hunc morbum statim præcipitasse.

§. LXVII.

Nec negligenda est consideratio excretorum & retentorum, quia alvus in hoc affectu semper aperta servanda est, aliàs afflicta magis affligere & mirè aggravare assolet.

§. LXVIII.

Hæc pro ingenii modulo de hoc affectu proponere in animum induxi. Esto autem quædam prætermisisse, vel minùs accuratè in medium protulisse: Disputationis tamen feriendo scopo ea, quæ proposui, abundè sufficere arbitror.

Τῷ ΘΕῷ Ἀρχαίτερι Τετραγίῳ  
Δόξα.